



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XVII. Praxis Inquisitorum S. Officii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

metur. Tum admittuntur Consultores, eorumque consilio audito statuuntur ea, quæ agenda sunt, & decernuntur commissiones circa illa, de quibus missæ erant relationes, eæque deinde destinantur ad Episcopos, & Inquisitores locales Sigillo Congregationis, quod asservat unus è Cardinalibus subsignatæ. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 15. Lunadoro in sua Relatione.

C A P U T XVII.

Praxis Inquisitorum Sancti Officii.

S. I.

Præliminaria de obligatione & modis denunciandi Hæreticos.

1. *Hæresis crimen est publicum, ideoque denunciandum.*
 2. *Contra Hæreticos proceditur tribus modis.*
 3. *Quomodo per accusationem.*
 4. *Quomodo per denuntiationem.*
4. Quia

5. Quid sit denuntiatio.
6. Quomodo per inquisitionem.
7. Inquisitio alia est Generalis, & fit tribus casibus. Quis primus.
8. Quis sit secundus casus.
9. Quis tertius.
10. Alia est specialis Inquisitio, quae illa

I.

Hæresis crimen merito inter delicta publica retulerunt Catholici Imperatores, cum in omnium feratur injuriam, & universum Reipubl. Statum offendat. *l. Manichæos num. 2. C. de hæres.* Ideoque tenentur omnes crimen hoc publicum tendens ad corruptionem multitudinis propalare, vel testificando vel denuntiando. *S. Thom. 2. 2. quest. 70. 4. 5.* Quam obligationem in Christi fidelibus plurimi sanctorum Patrum confirmant apud Suar. *de fide disp. 20. mor. sect. 4. n. 7. & seq.* & constituunt sub pœna excommunicationis Summi Pontifices *Greg. IX. Const. Excommunicamus §. Item si quis. aliiq.* Quinimo obligatio hæc non solum est quoad Hæreticos, sed etiam quoad suspectos de hæresi. *Carena de offic. inquis. 2. tit. 9. §. 1. n. 2.* Denunciandi vero sunt non quibuslibet Judicibus, sed Episcopis,

pis, qui jure Divino acceperunt judiciariam & ordinariam potestatem procedendi contra Hæreticos. *c. Per hoc de Hæret. in 6.* & Inquisitoribus Apostolicis, qui à Rom. Pontifice constituti hanc curam susceperunt.

2. Proceditur vero contra Hæreticos tribus modis, per accusationem, denunciationem & inquisitionem. *Conc. Later. sub Innocent. III. c. 8.* & refertur *c. Qualiter & quando il secondo de accus. & c. Licet Heli de Simonia.*

3. Per accusationem proceditur, cum quis accusat alium coram Episcopo, vel Inquisitore de crimine hæresis, offerendo se legitimè probaturum delicta, de quibus reum accusavit. *Gundisalvus tract. de hæret. q. 10. n. 1.* Sed hic modus est valde periculosus accusatori & litigiosus, deoque in hoc foro non facile admittendus, ut monuit Eymericus *in Direct. inquis. p. 3. n. 6.* & ab Italiae Inquisitionibus recessit hic procedendi modus. *Farin. q. 185. n. 40.*

4. Alter modus procedendi in hoc foro communis & usitatus est per denunciationem, ut cum quilibet Catholicus vigore obligationis, qua tenetur, coram Episcopo, vel Inquisitore Hæreticos, vel de hæresi suspectos denunciât, ut corrigantur.

rigantur, & pœnis legitimis puniantur.
Direct. inquis. p. 3. n. 68.

5. Est autem denunciatio criminis alicujus apud Judicem, sine inscriptione legitime facta, delatio ad pœnitentiam peragendam, vel aliam pœnam legitimam imponendam, vel etiam ad utrumque *Hostien. in sum. tit. de denunt. §. 1.*

6. Tertius modus procedendi in hoc Tribunali est per Inquisitionem, ad quam procedere possunt Episcopi, vel Inquisitores in suis Diocœsibus ad clamorantiam prævenientem. *Concil. Later. sub Innocentio III. c. 8.* refertur in cap. *Quæter*, & quando de accus. Locus ergo est huius procedendi modo, si accusatore, vel denunciatore deficiente fama defert, & clamor insinuat in aliquo loco, aliquem vel aliquos fecisse, vel dixisse aliqua contra fidem: Unde moti Episcopi vel Inquisitores diligenter in eam rem inquirere debent. *Direct. inquis. p. 3. n. 69. tit. de tert. modo proced.*

7. Inquisitio verò alia est generalis & hæc fit in causis fidei tribus potissimum casibus. Primus est, quando rumor & fama est, quod in aliqua Civitate vel Oppido habitent Hæretici, tunc Episcopi vel Inquisitores per constitutos cura-

curabunt generaliter inquirere, utrum fama hæc vera sit. *Conc. Later. sub Innoc. III. c. 3. refertur in c. Excommunicamus §, adjicimus de hæret.*

8. Secundus casus est, quando Episcopi visitant suas Dioceses, tunc enim in genere de Hæreticis, & hæresibus aliisque delictis ad suum forum pertinentibus, visitando inquirere tenentur. Interrogationes huic rei servientes proponit Burchardus *l. I. decret. cap. 94.*

9. Tertius casus, quando Inquisitores incipiunt in Diocesis sibi decretis exercere officium Inquisitionis, tunc enim edictis publicatis sub pœna excommunicationis præcipere solent, ut quicumque sciat esse Hæreticos, aut de hæresi suspectos, vel tenentes libros hæreticos, aut prohibitos, vel dæmones invocantes, aut Ecclesiæ Sacramentis abutentes, aut Ritus Hebræorum vel Turcarum observantes, eos teneantur Inquisitoribus denunciare. *Direct. inquis. p. 3. n. 52. & 53. tit. de forma admon.*

10. Alia est specialis inquisitio, quæ est jus quoddam per Officium procedendi ad condemnationem, & punitio- nem contra aliquos nominatim inquisitos, de certis delictis infamatos. *Angel. tract.*

tract. de malef. Debet ergo regulariter præcedere infamia, quæ vicem accusatoris obtinet. DD. in c. *Qualiter & quando il secundo de accus.* In quibusdam tamen casibus, quorum unus est in hoc foro crimen hæresis, propter criminis gravitatem potest & debet procedi, etiam si non præcedat diffamatio, cum sufficiant ad inquirendum legitima argumenta & præsumptiones. *Pegna prax. Inquis. l. 1. de inquis. spec.* Solent enim Hæretici in locis, præsertim ubi contra eos exercetur inquisitio, occultare se, & clanculum hæreses suas sub specie Religionis diffundere. *Direct. inquis. p. 3. n. 69. comm. 16.*

§. 2.

De Methodo Juridica conficiendi Processus in Tribunali S. Officii.

ARTICULUS I.

De recipiendis denuntiationibus.

1. Processus à denuntiationibus inchoandus.
2. Non est admittenda quæcumque denuntiatio.
3. De

3. Denunciatio debet esse jurata.
4. Cui Denunciator subscribere debet, & de illa fidem facere Notarius.

I.

Processus regulariter à denuntiatio-
nibus inchoari solent, qui est com-
munis, & usitatus modus procedendi
in hoc foro. Denuntiationes hic intelli-
guntur speciales, vi quarum Episcopus
vel Inquisitor ad specialem inquisitionem
descendere possit.

2. Non vero cujuslibet denunciatio
indistincte & præcipitanter admittenda
est, cum contingere possit, ut Jdiotæ,
& qui scrupulis aguntur ea deferant,
quorum cognitio ad inquisitores non
spectat, quare interrogandus est de-
nuntiant, priusquam denuntiationem
in forma juridica Notarius accipiat, quid
proponere velit.

3. Porro denunciatio debet esse ju-
rata, quia in hoc foro denunciator est
loco testis, & testis dictum, ut afficiat
reum debet esse juramento vallatum.

Caren. de offic. inquisit. 3. p. tit. 7. §. 1. Hoc
juramentum esse præstitum attestari
debet Notarius S. Officii scribendo ta-
lem denunciantem tactis Sacro sanctis

R r

Scri-

Scripturis iuramentum præstitisse. *Pegna
prax. inquis. l. 2. c. 1.*

4. Deinde Denuntiatori præligi debet Denunciatio sicut scripta est, cui Denunciator etiam subscribere se debet, & præcipitur ei servare secretum illius, quod denunciavit. Demum fidem facere debet Notarius de lectura Denunciationis Denuntiatori facta, de ejusdem Subscriptione, de Additione, Detractione, seu Mutatione, si quæ facta fuerit. *Pegna l. c.*

ARTICULUS II.

Forma recipiendi Denunciationem.

1. Formula Denunciationis,
2. De quibus Denunciator interrogatur.

I.

Formula Denunciationis in foro præ-
senti hæc communiter recepta est:
*Die --- Mensis --- Anni --- compa-
ruit sponte personaliter in tali Inquisi-
tione coram R. P. Fr. N. Ordinis Præ-
dicatorum sacrae Theologiae Lectore vel
Magi-*

Magistro, in meiq³ Notarii presentia N. Filius N. de tali loco, atatis sue Anno circiter --- talis, & talis conditionis, qui medio ejus juramento tactis Sacrosanctis Scripturis prestito exposuit, ut infra. Vid. &c. Et scribatur ejus Denunciatio, seu Testificatio.

2. Deinde Inquisitor vel ejus Vicarius in Auditorio Notario omnia excipiente Denunciatorem interrogabit de his:

Si non sit notus, de nomine, cognomine, patria, exercitio & ubi habitet.

A quanto tempore cognoverit, quod denuntiavit.

Quæ fuerit causa cognitionis. De hac diligenter inquirendum, inde enim pendet pondus testimonii.

An aliquando ex verbis, vel factis observaverit denunciatum esse suspectum in his, quæ ad fidem pertinent.

Quoties viderit N. fecisse, vel dixisse illa, propter quæ vitus sibi fuit Hæreticus, vel de hæresi suspectus.

Quo tempore, & quibus præsentibus prædictus N. fecerit, vel dixerit illa, de quibus fuit denunciatus.

An sciat N. in prædictis delictis habuisse

Rr 2

buisse

buisse complices, vel scripturas pertinentes ad delicta denunciata,

Ad quem finem & effectum prædicta fuerint facta vel dicta à prædicto N. & an serio, aut joco N. talia dixerit.

Si denunciatus distulerit longo tempore accedere ad S. Officium, quærendum est, cur non ante denunciavit, præsertim si sciverit ex omissione incurrere in poenam excommunicationis.

An sciat aliquid aliud de N. vel de alia persona, quod concernat sanctum Officium.

An aliquando habuerit causam odii vel inimicitiae cum prædicto N. & unde processerit.

Quo zelo, & qua intentione ad sanctum Officium & ad denunciandum accesserit.

An aliqua animi passione, mala voluntate, vel alio, vel subordinatione inductus denunciaverit, & monebitur, ut dicat ingenuè veritatem.

Poterunt quoque fieri aliæ prudentes interrogationes, ut veritas clarius elucescat.

Quicquid autem ad singulas interrogationes denunciator responderit, Notarius fideliter describet per extensum, &

& omnibus tandem peractis concludetur sic :

Quibus habitis fuit dimissus, & iussus in virtute praestiti juramenti servare silentium, & injunctum, ut se subscribat.

ARTICULUS III.

An per literas fieri possit Denunciatio.

1. *Per scripturam ordinariè non deponunt testes, nisi in quibusdam casibus.*
2. *Quis primus sit casus.*
3. *Quis secundus.*
4. *Quis tertius.*
5. & 6. *Quid Inquisitoribus observandum, si absentes denuncient.*
7. *Quomodo Monialis, vel Puella Nobilis denuntiet.*
8. *Formula accipiendi Denunciationem Monialis.*

I.

Licet testes non possint ordinarie deponere per scripturam, sed ore proprio testificare teneantur. *c. Testes 3. q. 9.* in quibusdam tamen casibus potest ab-

R r 3

sens

ſens per literas ſuam denunciationem transmittere.

2. Primus eſt, quando Denunciator eſt fide dignus, ſi habitet in locis remotis, & juramentum præſtiterit apud Inquiſitorum Commiſſarios. *Simanc. de Cathol. Inſtit. tit. 44. de Ord. procedendi n. 10.*

3. Secundus eſt, ſi talis infirmitate, aut carcere impeditus ad Inquiſitorem venire non poſſit, licet non exiſtat in locis valde remotis.

4. Tertius eſt ſi ratione alicujus qualitaris venire ad Inquiſitorem nequeat; Tales ſunt Moniales, aliæque honeſtiores ſæminæ, quæ non facile ad judicium trahendæ, ſed ipſæ adeundæ, vel alii ad eas mittendi ſunt. *Simanc. l. c. tit. 64. de teſt. num. 13.*

5. Quando vero Denunciatores hujusmodi abſentes per literas admittuntur, ut tutius procedant Inquiſitores, unum ex infraſcriptis obſervent, ut ſi commodè fieri poſſit, & gravitas rei poſtulet, vel ipſe ſe cum Notario ad Denunciantem conferat, vel mittat ad eum cum prædictis litteris Socium vel Vicarium ſuum, ut cognoscat an literæ ſint illius, quo conſilio aut cauſâ ſcriptæ, examine-
turque modo ſupra tradito.

6. Vel ſi in illis partibus jam habet Inquiſitor

quisitor Vicarium, vel Commissarium ad illum scribat, & secretas illas literas denunciatorias transmittat, ut denunciante præmisso juramento de more examinet. *Pegna. prax. Inquis. l. 2. c. 3.*

7. Notandum circa denunciationem faciendam à Moniali, vel puella Nobili, secundum plurimos Auctores citatos à Carena *de offic. Inquis. p. 2. tit. 9. §. 7. n. 34.* & in annot. ad *prax. Pegn. l. 2. c. 3.* Teneri illas denunciare coram suo Confessario, qui petit ab Inquisitore licentiam recipiendi dictam denunciationem, quam deinde ut deputatus recipiet prævio juramento, subscriptione, & indictione Secreti. Debet vero Confessarius in hoc casu accipere à Moniali mandatum denunciandi Inquisitori extra Confessionem. Quem modum denunciandi coram Confessario approbasse Urbanum VIII. nomine S. Congregationis tradit Rodericus Acugn, & Bariola *in floribus Directorii.*

8. Formulam accipiendi hanc denunciationem refert Lupus *in comm. ad Edictum S. Officii p. 1. l. 4. dist. 4. art. 2. diffic. 1. & 2.* Scia dimissa à Confessario, qui noluit eam absolvere, nisi S. Officio denuntiaret, coram me N. specialiter à Reverendissimo Patre Inquisitore deputa-

to comparuit sponte Die --- Mense--
 Anno --- & ei delato per me juramen-
 to, quod Sacro-sanctis Evangeliiis pra-
 stitit, pro exoneratione conscientia
 sua, ut dixit, denunciavit in modum
 sequentem, videlicet. Ponatur.

ARTICULUS IV.

Formula recipiendi Confessionem
 sponte comparentis de se ipso
 testificantis.

1. Qui sponte venire dicantur.
2. Sponte comparens, & ignorans se praeventum
 gaudet privilegio comparentis sponte.
3. Haereticus sponte comparens mittissimè tra-
 ctandus.
4. Quæ praxis cum eo servetur.
5. Confessio illius excipienda à Notario.
6. De quibus interrogandus sit.

I.

SPonte venire dicuntur, qui volun-
 tatiè ad S. Officium accedentes suos
 confitentur errores, & eorum veniam
 petunt, antequam ab aliquo praeventi
 denunciarentur; Colligitur ex l. sponte ff.
 de muner. & honor.

2. Si quis iudiciis praeventus in S. Of-
 ficio comparet non citatus, si ignoret
 sese praeventum, gaudet Privilegio
 sponte

sponte comparentium, si vero id sciverit, vel suspicatus fuerit, non gaudet dicto privilegio, quia ex metu probationum comparet; Mitius tamen cum ipso agendum erit. *Carena de Offic. Inquis.* l. 1. tit. 18.

3. Ideo Hæreticus sponte comparens mitissimè est tractandus, pœna aliqua salutari. vel etiam aliquando pecuniaria plectendus. *Pegna p. 3. comm. 12. Sub tit. G.* Cogendus tamen est ad abjurandum formaliter hæreses, licet abjuratio in hoc casu debeat esse non publica, sed Secreta, *Simanch. de Cathol. Instit.* l. 1. num. 24.

4. Cum hoc ergo hæc praxis servanda est. Die --- Mense --- Anno --- comparuit sponte personaliter in S. Officio talis Civitatis, vel loci coram R. P. Fr. N. Ordinis Predicatorum, Sacro-sanctæ Theologiæ Magistro, vel Lectore in meique Notarii presentia N. Filius N. de tali Civitate, vel Opido, degens sub Parochia N. ætatis sue Anno circiter --- qui medio suo iuramento, quod tactis scripturis præstitit, dixit, deposuit, & confessus est, ut infra, videlicet &c.

5. Hic

5. Hic inferitur confessio illius, quæ coram Judice facta simpliciter, & fideliter excipienda est à Notario, prout à sponte comparente verbo profertur. Quod si eam scripto exhibeat, serventur ea, quæ supra dicta sunt de denunciante in scripto. *Pegn. prax. Inq. l. 2. c. 4.*

6. Deinde interrogandus de sequentibus :

An erroribus suis adhæserit, vel de illis dubitaverit.

Quanto tempore in illis erroribus permanserit.

A quibus eos didicerit, & quomodo.

An libros prohibitos legerit, & quos & à quibus habuerit.

Super complicibus, & an alios cognoscat hæreticos, vel de hæresi suspectos.

An in aliquo Tribunali sit de prædictis erroribus præventus vel indiciatus,

An ipsum pœniteat in hujusmodi errores incidisse, & an eos, & omnes alias hæreses abjurare sit paratus, de cætero Catholicè vivere, & pœnitentiam sibi injungendam adimplere.

Monendus etiam est ad dicendam integram veritatem. *Carena de Offic. Inquis. p. 2. tit. 18. §. 2.*

ARTI.

ARTICULUS V.

De Examinatione Testium.

1. *Facta denuntiatione examinantur Testes.*
2. & 3. *Quomodo examen instituitur.*
4. *Completo examine concludit Notarius.*
5. *In Inquisitione Romana iterato Testes exami-
nantur.*
6. *Si timeatur Testem revelaturum causam
quid faciendum.*

I.

Denuntiatione peracta Inquisitor vo-
care facit per Nuncium suum Spi-
ritualem Testes à denuntiatione nomi-
natos, qui ubi venerint, legitimè de
more examinantur.

2. Hæc actio juxta stylum S. Inqui-
sitionis sic peragitur: *In Officio S. In-
quisitionis N. coram R. P. F. N. Ordinis
Præd. Sac. Theol. Lect. vel Magistr. in
eiusque Notarii presentia comparuit
N. ex Offic. pro informatione S. Officii
assumptus, & vocatus, qui medio sui
iuramenti, quod tactis sacris Scriptu-
ris præstitit. Vel sic: Comparuit per-
sonaliter*

sonaliter vocatus in S. Officio N. coram N. qui, delato juramento de veritate dicenda, & per eum tactis Scripturis suscepto, fuit per D. Inquisitorem interrogatus, an sciat vel presumat causam sue vocationis, & presentis examinis, respondit &c.

3, Si respondit affirmativè, rursus interrogetur, quomodo id sciverit.

Si respondit negative, interrogetur, an cognoverit, seu cognoscat de presenti aliquem, seu aliquos Hæreticos, vel de hæresi suspectos, aut saltem nominare intellexerit.

Interrogatus an cognoverit, & de presenti cognoscat N. ex qua causa, & à quanto tempore citra, & an cum eo solitus sit, vel fuerit conversari.

An aliquando aliquid audierit à prædicto N. quod concernat Religionem Catholicam.

An aliquando fuerit in tali loco cum prædicto N. & ibidem dictus N. dixerit vel fecerit talia & talia hæreticalia, vel hæresin sapientia.

In quorum præsentia N. supradicta dixerit vel fecerit.

Quoties supradicta audivit dici, vel vidit

vidit fieri, & qua occasione, & quomodo.

An prædictus N. supradicta dixerit in confesse, seu animo indeliberato, aut per fabricum linguæ, aut alicujus, vel aliorum hæreses referendo.

Admoneatur ad veritatem simpliciter dicendam, qui si de falso fuerit supra his deprehensus ultra perjurii, etiam auctoritatis poenas subibit.

An odio vel amore ductus aliquid dixerit, quod non erat dicendum, vel tacerit, quod erat explicandum.

4. Completo examine Notarius concludat sic: *Quibus habitis Dominus dimisit examen, & ipsum Testem licentiavit, injuncto ei virtute præstiti juramenti servare secretum, & quod subscriberet.* Vel sic: *Quibus habitis fuit dimissus, injuncto sibi silentio cum juramento, & quod se subscribat.*

5. In supremo S. Romanæ Inquisitionis Tribunali quantoque antequam reus comprehendatur, testis iterato post bimum vel triduum vocatur, ut firmiter testimonium habeatur, quo casu Notarius sic scribit: *Comparuit iterum personaliter*

sonaliter vocatus N. qui medio juramento tactis sacris Scripturis praestito, interrogatus an sibi occurrat aliquid dicendum pro ulteriori veritate, ultra ea, quae deposuit in alio suo examine respondit &c.

6. Si timeatur testem revelaturum causam sic concludi solet: *Quibus habitis fuit dimissum examen acceptatis &c. animo &c. injuncto sibi silentio sub paena excommunicationis latae sententiae una pro trina monitione praemissa, & sub aliis paenis arbitrariis S. Officii.* Solet quandoque etiam mandari testi, ne de Palatio, seu domo Inquisitoris recedat sine expressa licentia Dni. Inquisitoris, etiam in scriptis habenda.

ARTICULUS VI.

Post receptam Denunciationem,
& Testes examinatos instituitur Consultatio.

1. Inquisitor convocat Consultores.
2. Ante Consultationem imploratur Divinum auxilium.

3. Per

3. Per orationem vetustam.
4. Quâ finita instituitur Consultatio.
5. In dubio an delicta pertineant ad S. Officium, quid fiat.

I.

PRæmissis modo supra dicto diligentis pro informatione capienda de persona & delicto denunciato convocat Consultores Inquisitor ad expediendas delictorum, vel propositionum qualitates, vel explorandas probationes, & iudicia, vel alios actus judiciales peragendos.

2. Inprimis ergo in consultatione illa & Congregatione S. Officii imploratur Divinum auxilium per orationem, quam Inquisitores cum Consultoribus genuflexi dicunt. Hæc recitari etiam solet S. Pontifice in celebratione Concilii generalis Episcopis, cæterisque Prælatibus genuflexis, & Romæ in Signatura gratiæ à Referendario, qui primo loco causam relaturus est genuflexo cum cæteris Prælatibus, Summo vero Pontifice, & Cardinalibus aperto capite stantibus. In Signatura Justitiæ à Præfecto istius Signaturæ. Et in Rota, in qua eam suo Ordine

Ordi-

Ordine pronunciant Auditores stantes.

3. Oratio hæc desumpta est ex vetusto tractatu de ordine celebrandi Concilium relata in 1. tom. Conciliorum, & est talis: *Adsumus Domine sancte Spiritus; Adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati. Veni ad nos; Adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus; Esto salus, & Suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum DEO Patre, & ejus Filio nomen possides gloriosum, non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos ignorantia non trahat, non favor inflectat, non affectio muneris, vel personæ corrumpat, sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus*

neamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro probe gestis consequamur premia sempiterna. Et respondetur ab omnibus: Amen. Non subjungitur *Pater noster*, nec *Benedictio*.

4. Facta oratione inquiritur, an delicta, & probationes, sive indicia in judicio Summario recepta sint talia, quæ merito inducant ad procedendum ad ulteriora, videlicet ad citationem realem, sive ad capturam contra denunciatum. Sufficientia autem, sive idonea crimina judicabuntur, cum eorum cognitio ad S. Officium pertinuerit.

5. Si dubium sit, an delicta aut propositiones delatæ spectent ad Tribunal S. Officii, committuntur peritis Consultoribus præsertim Theologis examinandæ, quibus conceditur tempus ad deliberandum, & studendum, qui deinde suffragium suum scriptum, & propria manu subscriptum dabunt, & processui inseretur, ut constet Inquisitorem cum cautela processisse. *Pegn. prax. Inquis. l. 2. c. 7*

ARTICULUS VII.

De Deliberatione super citatione
reali & captura.

1. Sine probatione nemo carcerari potest.
2. Quid ad eam requiratur.
3. Aliqui putant unum testem sufficere ad capturam.
4. Contra aliquas personas non sufficit.
5. Capere Inquisitor potest sine Episcopo, & è contra, non tamen incarcerare.
6. Quomodo formetur decretum de captura.

I.

OB crimen hæresis nemo capi & carcerari potest, nisi præcedente sufficienti probatione arbitrio Judicis à jure tamen regulato. *Simancas de Catbol. Instit. tit. 16. n. 1. & 2.*

2. Ad hoc autem requiri putat Eymericus in Directorio Inquisitorum plenam probationem, vel maxima indicia, & suspensiones vehementes. *Simancas in Enchirid. Judicum viol. Relig. tit. 25. num. 2.* Requirit plusquam semiplenam probationem.

3. Non-

3. Nonnulli DD. censent apud Pegnam *in prax. Inquis. l. 2. c. 8.* testem unum de crimine hæresis deponentem sufficere ad capturam, dummodo sit omnimodum exceptione major deponatque de visu, vel proprio auditu, maximè si concurrat dictum denunciatoris, quia in crimine hæresis denunciator in numero testium computari solet, quia ad deferendum nullo privato commodo movetur sed zelo sancto Religionis Catholice tuendæ. *c. In omni negotio de testib.*

4. Non tamen sufficit unus Testis ad capturam in crimine hæresis contra personam Nobilem bonæ famæ, Sacerdotes, Religiosos, Doctores & Rectores Civitatum, nam Presbyteri comprehendendi non sunt, nisi adversus eos duo, vel tres dixerint testimonium. *Sixtus Papa in c. Accusation. 2. q. 7.* Nec supradicti capi, & carcerari debent nisi consulto supremæ S. Rom Inquisitionis Senatu. *Pegna l. c.*

5. Licet vero Inquisitor sine Episcopo, & Episcopus sine Inquisitore possint capere, & arrestare injectis etiam compedibus & manicis ferreis, alter tamen sine altero ad perpetuum seu temporarium carcerem damnare non potest.

SS 2.

Clem.

Clem. §. Propter quod I. de hæret. Et si fiat, tutius est id facere cum consilio Consultorum Inquisitionis.

6. Porro decretum, quod super captura facienda formatur sub Die, Mense & Anno, quod factum fuerit, notandum erit in processu illius, de cujus causa agitur sub hac ferè formula: *Die --- Mense --- Anno In Congregatione habita in Palatio S. Inquisitionis N. coram R. P. D. hæretica pravitatis Inquisitore, in qua interfuerunt N, & N. Consultores ejusdem Inquisitionis; Proposita causa N. in hoc S. Officio denunciati, nec non lectis, & visis indiciis, & probationibus contra ipsum resultantibus, decretum fuit, quod dictus N. capiatur, & in carcerem S. Officii mittatur. Pegn. l.c.*

ARTICULUS VIII.

Capturâ decretâ datur mandatum de capiendo,

1. Sine mandato Inquisitoris capi non potest reus.

2. Formula

2. Formula mandati.
3. In capiendo reo adhiberi potest familia armata.
4. Quomodo Nobiles, DD. Religiosi deducantur ad carcerem.
5. Captus bene custodiendus.
6. Adducendus ex locis remotioribus non pernoctet in publicis hospitiiis.

I.

Decreto facto reum esse capiendum, & in carcerem mittendum, datur mandatum de capiendo ab Inquisitore subscriptum executori, qui reum capturus est, sine eo namque posset se criminolus defendere. *c. Cum in jure, ibi* *Glos. V. Super mandato de offic. deleg.*

2. Hujus autem mandati hæc est vulgaris formula: *De mandato Admodum Reverendi Patris N. Inquisitoris hæretica pravitatis, capiatur N. & captus ad carceres S. Officii ducatur, non relaxandus sine expressa licentia ejusdem Domini Inquisitoris.* Mandatum hoc totidem verbis inseret Notarius in processu ejusdem Rei.

3. Executor adhibere potest in capiendo reo, si sit necesse, familiam armatam,

tam, quam de jure habere possunt Inquisitores. *Clem. Nolentes §. fin.* Ubi vero hoc privilegium non est usu receptum debent Judices sæculares in capiendis reis requisiti ab inquisitore brachium seculare impertiri.

4. Si Nobiles, Doctores, Religiosi aliive similes incarcerandi sint, deducit eos curru Commissarius, vel alius Minister S. Inquisitionis ad carcerem, aut si absit timor de fugâ per specialem Nuntium advocantur.

5. Captum bene custoditum, & si opus fuerit catenis constrictum Executor custodi carceris consignabit, qui circa eum leges sibi præscriptas observabit.

6. Si ex remotioribus locis adducendus sit reus, non pernoctent in publicis hospitiiis, ne captus fugâ dilabatur, sed divertant vel ad Episcopos, si adsint, vel ad Judices seculares, qui proinde per Inquisitorem per literas requirendi sunt, ut auxilium suum, & favorem præbeant, *Bonifacius VIII. in cap. ut Inquisitionis §. 1. de hæret.*

ARTI-

ARTICULUS IX.

De Ordine in custodiendis Carceratis observando.

1. Pro diversitate delicti, & conditionis diversi sunt sunt carceres.
2. Plures in eodem conclavi non includantur.
3. Fœminis honestæ sociæ adjungantur. Et si inclusæ sint Monasteriis, nemo ad alloquium earum admittatur.
4. Pro Custodia carceratorum quæ adhibenda.
5. Cibi pro reis præparandi sunt in domo Inquisitionis, & quo pretio.

I.

Non omnibus reis pares sunt carceres consignandi, nam qui levius deliquerunt, mitius tractari debent; Et aliter juvenes, quam senes, plebei, quam Nobiles custodiendi sunt. *l. prima ff. de custodia reorum. l. Divus ff. de Officio Præfidis.*

2. In eodem conclavi mares, & fœminæ occludendi nō sunt, nisi forte maritus & uxor ejusdem delicti rei. Nec duo
vel

vel plures ejusdem Sexus in eodem con-
clavi asserventur, nisi Inquisitoribus ali-
ter visum fuerit. *Direct. Inquis. p. 3. com-
ment 108. super quæst. 59.*

3. Fœminis singulis adjungitur velut so-
cia honesta fœmina matura, pia & fi-
delis ad mali suspicionem præcavendæ.
Aut ben. Hodie novo jure. C. de custodia reorum.
Cum, ut sæpè fit, fœminæ ad Monas-
teria Sanctimonialium custodiendæ de-
ducuntur, Abbatissæ vel Priorissæ cura-
re debent, ut nemo ad alloquium illa-
rum sine facultate Inquisitoris admitta-
tur.

4. Custodes carcerum perquirere &
visitare debent carceres, ne parietes
perforentur, & carcerati aufugiant; Et
si Inquisitori videbitur, possunt hi etiam
detineri præsertim noctis tempore in
compedibus & manicis ferreis. *Clem. 1.
§. Propter quod, de heret.* Atque si neces-
sitas postulet invocare possunt Inquisito-
res brachium seculare pro custodia car-
ceratorum, cum Magistratus secularis
operam suam in hoc fideliter præstare
teneatur. *Alexander IV. Const. Ad extir-
panda.*

5. Alimenta reis præbenda regulari-
ter præparanda sunt in domo Inquisitio-
nis,

nis, non in domibus reorum, vel aliunde afferenda, ad præcavendas fraudes. Taxanda vero sunt juxta caritatem vel abundantiam rerum comestibilium. Si quis lautius haberi velit præter morem, indulgeri hoc ipsi potest, & concedi, quicquid eidem & famulis, si quos in carcere habuerit, conveniens judicabitur. Verum nec Custos carceris, nec alius Minister quicquam ex reliquiis, si quæ superfuerint, percipiet, sed eæ inter pauperes distribuentur.

ARTICULUS X.

De prima audientia, ad quam incarcerati vocantur.

1. Coram Inquisitore, & Notario sisti debet reus.

3. 4. &c. Quomodo & de quibus interrogetur.

I.

Inquisitores sisti coram se & Notario seu Secretario S. Congregationis jubebunt incarceratos, quando voluerint, eosque præstito juramento de veritate dicenda interrogabunt juxta ordinem infra-

fra-

transcriptum Directorii inquisitionis p. 3.
tit. de modo interrog. n. 74.

2. Die N. Mensis N. Anni N. constitutus in
tali civitate. & tali inquisitione coram R. P. D.
Fratre N. Ordinis Prædicatorum S. Theologie
Magistro in meique Notarii præsentia N. Filius
N. de tali loco ætatis suo annorum N. in circa,
cui delato juramento de veritate dicenda, quod
præstitit tactis sacro-sanctis Scripturis fuit per
Dominum N. interrogatus.

3. An sciat causam suæ capturæ, vel
ab aliquo, aut aliquibus intellexerit.
Respondit &c. Interrogatus ubi, quan-
do & quomodo fuit captus;

Si responderit nescire. Interrogatus,
an saltem causam possit cogitare, & di-
cat an sciat, in quibus carceribus sit de-
tentus, qua de causa homines in illis
detineantur.

Si dixerit quod non, sed esse in car-
ceribus S. Officii, ubi detinentur Hære-
tici, & suspecti de hæresi.

Dicatur illi, quod cum sciat, quod
detineantur capti ex causa violatæ Reli-
gionis, debet etiam cogitare, quod &
ipse detineatur propter causas violatam
Religionem concernentes, & ideo di-
cat, ob quam causam credat se fuisse ca-
ptum, & in carceribus S. Officii deti-
neri.

Si

Si negativè responderit. Tutum est
semper oretenus declarare benignitatem
S. Officii erga non coactè confitentes,
& rigorem contra renitentes.

4. Mox in scriptis moneatur, quod
Ministri S. Officii neminem comprehen-
dant sine justa causa, quamobrem ab
eo obnoxè petitur, eique præcipitur, &
mandatur, ut diligenter perpendat actio-
nes suas, suamque conscientiam exami-
net, & expurget à delictis, & errori-
bus, quibus forte tenetur, & de qui-
bus est denunciatus.

5. Interrogatus unde Originem tra-
hat, & qui sint ejus parentes; Et si sint
plebei, qui alii progenitores.

6. Ubi fuerit nutritus, & in quibus
locis habitavit, & si mutaverit locum,
sive patriam, quare id fecerit.

Cum quibus in prædictis locis fuerit
conversatus, & quorum usus sit ami-
ticia.

An cum his aliquando de rebus Reli-
gionis sermonem habuerit, vel illos de
Religione loqui audiverit, & in quo lo-
co, & quando & quoties & de quibus
rebus, seu de qua materia loqueren-
tur.

7. Interrogatus cujus professionis sit seu quod exercitium habeat.

An sit dives, vel pauper, quantum habeat in redditibus, & cujus expensis vivat. Reddat rationem vitæ suæ, & quid à pueritia & citra fecerit.

Interrogatus in quibus locis & studiis literarum operam dedit.

Quos Præceptores habuerit, & explicet nomina illorum.

Quas artes didicerit.

Quos libros legerit, & habuerit, & an de præsentibus habeat libros de Religione tractantes, & quos.

8. An aliquando in aliquo Tribunali fuerit examinatus, vocatus, vel in aliquo judicio constitutus uti processus, & ex quibus causis, & an secuta fuerit absolutio, vel condemnatio, & per quem Judicem, & quo anno.

An unquam fuerit excommunicatus, & ob quam causam, & an postea fuerit absolutus, vel condemnatus, & ex qua causa.

An singulis annis sit solitus Sacramentaliter confiteri peccata sua, & quoties, & dicat, in qua Ecclesia, & exprimat nomina tam Confessorum, quam illorum, è quorum manibus Eucharistiam sumit.

sumpserit, & maximè à decem annis,
& citra.

Quas orationes, siue sacras preces
scitet.

An habeat aliquos inimicos, & ex-
primat nomina ipsorum, & dicat cau-
sas inimicitiarum.

9. Si reus confessus fuerit veritatem
peracta erit ejus causa. Quod si adhuc
dicat se nescire, cur vocatus, aut in
carcerem missus sit; Inquisitor explicet,
quod appareat ex dictis ejus, nolle eum
confiteri veritatem, nec constet esse,
qui ex odio eum falso denunciarint, ma-
jor oritur suspicio vera esse, quæ con-
tra ipsum denunciata sunt, & propterea
monitus iterum ad veritatem ingenuè
confitendam.

Omnia interrogatoria, & responsa à
Notario fideliter, & per extensum scri-
benda sunt. Finito hoc examine dice-
tur sic:

*Quibus habitis Dominus accepta-
tis &c. Dimittit examen animo &c.
adjuncto quod se subscribat &c. Man-
davit reduci ad locum suum. Si Reus
non scribere se subscribat, si minus ap-
ponit signum crucis.*

ARTI-

ARTICULUS XI.

De secunda reorum Audientia.

1. Si veritas haberi non possit ex quæstionibus Generalibus, descendendum ad particularia.
2. De quibus, & quomodo interrogentur rei in secundo examine.

I.

Si à reo veritas nequeat haberi ex interrogatis generalibus, debet Inquisitor descendere ad particularia, de quibus denunciatus fuit, videlicet si accusatus fuerit, quod negaverit Purgatorium, uno, duobus vel tribus diebus post primum examen fient interrogaciones, juxta infra scriptam formulam:

2. Die N. Mense N. Anno. N. constitutus ubi, & quibus supra in meo Notarii presentia N. de quo supra, cui delato juramento de veritate dicenda, quod tactis Scripturis prestitit, fuit per Dominum.

Interrogatus, An ultra ea, quæ ipse constitutus dixit in alio suo examine occurrant sibi aliquid dicenda, & quæ.

An

An melius cogitaverit, & recordari
potuerit causam suæ carcerationis, &
examinis, prout alias fuit interrogatus,
& an saltem habeat aliquam suspicionem
quo deferri potuerit apud S. Officium,
& super quibus rebus.

An unquam audiverit loqui de Para-
diso, Purgatorio & inferno.

Quid audiverit loqui de præfata ma-
teria.

Qui sint illi, à quibus audivit de præ-
fata materia tractari, vel disputari.

Quid ipse reus super hoc aliquando sit
ocutus.

Quid ipse tenuerit, & crediderit. &
præsenti teneat, & credat de Pur-
gatorio.

Si negat se male de eo sensisse, sed
credidisse id quod tenet, & docet S. Ma-
gister Ecclesia.

Dicat, quid de eo teneat & credat S.
Magister Ecclesia Romana.

Accepta ejus responsione moneatur,
ut caveat à mendacio, quod contrarium
contra ipsum depositum habeatur, vi-
licet, quod loquendo de Purgatorio
dixerit talia, & talia, ponendo verba
precise, quæ deposuerunt Denuncia-
tor, & testes.

In

In fine examinis dicatur sicut supra:
Quibus habitis &c.

ARTICULUS XII.

Forma inrerrogandi Reos, quando in primo & secundo examine recusant, dicere, veritatem.

1. Forma interrogandi in tertio examine.
2. Quae in eo querantur.

I.

Die N. Mense N. Anno N. constitutus personaliter, ubi & coram quibus supra, in meique Notarii praesentia N. de quo supra, qui delato iuramento de veritate dicenda, quod tactis sacro-sanctis Scripturis praestitit, fuit per Dominum.

2. Interrogatus, an melius cogitaverit de dicenda veritate, prout se cogitaturum, & facturum promisit in alio examine.

Vel: An ultra dicta in aliis examinibus sibi occurrant aliqua alia pro veritate dicenda, & quae,

Re-

Respondit &c.

Quid ipse particulariter sentiat, & credat de Purgatorio.

A quo, vel à quibus hoc sibi fuerit persuasum.

Præcipiatur, ut explicet in particulari.

Interrogatus, qua occasione incidit in errorem.

Quanto tempore in eo permanserit, An eum errorem ipse alios docuerit.

An habeat alios errores.

Moneatur de dicenda veritate, habet testimonia, quod de aliis quoque rebus ad fidem Catholicam pertinentibus malè locutus fuerit.

Nil vero dicatur, nisi quod in denunciatione & depositionibus testium continetur, non enim mentiri licet ad eruendam veritatem.

Quibus habitis Dominus dimisit examen, animo &c. injuncto, quod se subscribat, & mandavit reduci ad locum suum &c.

T t

ARTI-

ARTICULUS XIII.

Formula interrogandi Testes examinatos ad effectum declarandi eorum dubias depositiones.

1. *In dubio saepe Denunciator & Testes iterum revocantur ad examen.*
2. *Quomodo tunc interrogatio instituat.*

¶

Frequenter post receptam denunciationem, depositiones testium & examen accusati oriuntur varietates & dubitationes, ut necesse sit iterum vocare ad examen Denunciatorem & Testes, ut magis specificè quædam intelligantur; ista vero sic peraguntur in praxi.

2. *Die N. Mense N. Anno N. comparuit iterum vocatus, ubi, & coram quo, ut supra N. de quo supra, cui delato juramento de veritate dicenda, quod tactis sacro-sanctis Scripturis prestitit, fuit per Dominum.*

la-

Interrogatus, an sibi occurrat aliquid dicendum, præter ea quæ dixit, in alio suo examine de prædicto N.

Cum dixerit, quod dictus N. tali die dixerit in præsentia sua talia, dicat singillatim, & in individuo, quæ dixit tali die, & in quo loco, & quibus præsentibus.

An ea, quæ dixit circa Paradisum, & Purgatorium retulerit per jocum.

An ea, quæ prædictus N. dixit, retulerit non ex propria sententia, sed recitando, seu referendo aliorum errores, & advertat bene, & recordetur, quomodo prædictus N. locutus fuerit.

An inter N. & eos, qui audiverunt fuerit vel aliqua rixa, seu odium, vel inimicitia, aut inimicitia causa.

Quibus habitis dimissus fuit injuncto silentio, & quod se subscribat.

ARTICULUS XIV.

Ante causæ expeditionem quid faciendum Inquisitori.

1. & 2. Quando reus torqueri possit.

3. Inquisitores undecunque veritatem perquirere debent.

Tit 2

4. Reus

4. Reus interrogandus est, an velit testes habere pro rite examinatis.
5. Quomodo id fiat.
6. Si velit testes repeti, fit decretum.
7. Si deliberare velit, quid faciendum.
8. & 9. Si remittat se ad Juris dispositionem; Vel ad arbitrium Inquisitoris, quid faciendum.
10. Si habeat testes pro rite examinatis, fit decretum.

I.

SI Reus interrogatus vel omnino nihil, vel obscure & dubie respondet, v. gr. nescio, non recordor, oblitus sum, torqueri potest. *Bald. in l. accusationem n. 12. C. de his qui accus. non possunt.* Etiam si respondere nolit non solum super facto principali, sed etiam super circumstantiis substantialibus. *Pegna prax. Inquisit. l. 2. c. 21.*

2. Torqueri etiam potest Reus interrogatus à Judice, an hoc vel illud commiserit, respondet se non esse culpabilem; Aut non respondet ad propositum, fingitque se dementem. *Pegna, l. c.*

3. Ut vero Inquisitores incorruptius, & sincerius iudicium ferant, undecunque

que veritatem perquirere debent, non tantum è testibus in denunciatione nominatis, sed aliis etiam vel aliunde ex libris, epistolis & scripturis eorum, qui sunt de hæresi inquisiti, si fieri potest, inquirendum est. *Pegn. l. c. cap. 23.*

4. Cum etiam testes examinati in iudicio summario regulariter non probent, nisi fuerint examinati in iudicio plenario, parte citata, & cum eis interrogatoriis, prout DD. communiter supponunt. *Farin. de testib. q. 72. n. 87. & seq.* Ideo Inquisitor interrogare solet reum, an velit habere testes contra se examinatos pro ritè & rectè examinatis; quod dupliciter fieri solet, vel in præsentia sui Procuratoris, aut Advocati, vel in eorum absentia. Si fiat in præsentia eorum, sic peragitur:

5. *Die N. Mense N. Anno N. eductus in carceribus, & constitutus coram supra dicto R. P. D. N. Inquisitore, & præsentente N. Procuratore vel Advocato, in præsentia Notarii præsentia, N. de quo supra dictum sibi fuit per eundem D. Inquisitorem, an velit habere testes in huius causa contra ipsum examinatos pro*

*Tt 3**ritè*

rite & recte examinatis & repetitis, seu potius velit eos repeti, & de novo examinari. Quibus per ipsum N. auditis. Respondit &c.

Et exinde remissus fuit ad locum suum.

Cum hæc interrogatio fit absente Procuratore vel Advocato, tunc omittuntur illa verba: *Et prasents N. Procuratore vel Advocato.*

6. Si respondeat, se velle, quod testes repetantur, quia velit eos arguere de falso, tunc fiet decretum tale.

Die N. Mense N. Anno N. intellecta responsione N. R. P. D. decrevit, ut testes in ejus causa recepti cum suis interrogatoriis repeterentur; & ideo in continenti, mandavit sibi dari copiam articulorum à Procuratore Fiscali ordinatorum ad effectum formandi interrogatoria.

7. Si respondeat se velle deliberare, & consulere suum Procuratorem vel Advocatum, decernendum quoque est, ut detur illi copia articulorum à Procuratore Fiscali formatorum ad effectum melius deliberandi.

8. Si

8. Si remittat se ad juris dispositionem, tunc vult testes repeti, quia de jure testes recepti in judicio summario regulariter non probant. *Bart. in l. Maritus n. 3. & in l. fin. n. 8. ff. de question.* Et hoc probat Rota. *Pegna l. c. cap. 24.*

9. Si remittat se ad arbitrium Inquisitoris, hoc acceptare non debet Inquisitor, ne objiciatur illi, quod abstulerit Reo legitimam defensionem; Quod si importune ad hoc urgeretur, prudenter agat Inquisitor, ne tale quid sibi merito objiciatur.

10. Si demum respondeat, se velle habere testes pro ritè & rectè examinatis, & legitimè repetitis, hoc casu fiet decretum tale.

*Die N. Mense N. Anno N. eductus è
carceribus, & constitutus coram su-
pradicto R. P. D. Inquis. N. & presente
N. Procurat. in meique Notarii præ-
sentia N. de quo supra, & dicto sibi
per eundem R. P. D. Inquisitorem an
velit habere testes in ejus causa contra
ipsum examinatos pro ritè, & rectè
examinatis, & legitimè repetitis, seu
potius velit eos repeti, & de novo
exami-*

nari habitoque colloquio cum suo Procuratore, respondit, se velle habere dictos testes pro legitime repetitis, satis tamen exceptionibus contra personas, & eorum dicta in defensionibus deducendis.

Hoc casu repetitio testium non est necessaria juxta veriore opinionem, de qua DD. *l. fin. C. de testibus.* & sequitur supremum Tribunal Romanæ Inquisitionis, nec contrarium observatur, nisi in causa hæretici negativi, in hac enim testes debent repeti, etiamsi Reus habuerit eos pro repetitis. *Carena de offic. Inquis. p. 3. tit. 7. §. 5.*

ARTICULUS XV.

Articulorum contra Reum productio.

1. *Procurator Fiscalis præsentat libellum accusatorium vel articulos.*
2. *Qui formandi sunt per verba affirmativa.*
3. *Reus quoque dat suis interrogatoria.*
4. *Qualia ea esse debeant.*
5. *Secundum ea examinantur testes.*

6. Si testes varii sint, & contrarii incarcerari possunt.

7. Standum est primæ depositioni, nisi secunda facta sit in tortura.

I.

Postquam Inquisitor recepit informationem contra Reum Procurator Fiscalis in quibusdam Inquisitionibus præsentat in iudicio præsentem Reo libellum accusatorium continentem capita delictorum, de quibus Reus fuit delatus. In supremo foro Romanæ Inquisitionis præsentat Procurator Fiscalis positiones, & articulos, eadem delicta continentem.

1. Hi vero articuli non debent esse impertinentes, nec formandi per verba negativa, sed affirmativa; Neque sub conjunctione nisi agatur de facto alieno, quo ignorantia est probabilis. Debent præterea repeti testium depositiones, & inculpati confessiones. *Pegna l. 2. c. 30.*

2. Postquam Procurator Fiscalis præsentat contra Reum articulos, Reus quoque dat sua interrogatoria *c. Presentium testes etiam, de test. in 6. ibi Glos. V. interrogatoria.*

3. Hæc vero interrogatoria formanda sunt

sunt

sunt à Procuratore rei secundum ea, quæ continentur in articulis, & secundum circumstantias causæ, & personarum qualitatem. Captiosa & impertinentia interrogatoria Judices rescare possunt; Nec admittenda captiosa ad intricandum testem, & occultandam veritatem. Ad quæ interrogatoria formanda datur Reo terminus competens. *Pegnal c. cap. 32.*

5. Secundum ista interrogatoria examinari debent testes à Judice, non à Notariis, & potest supplere Judex ex officio in eo, ubi pars deficit in dandis interrogatoriis. Si fortè testis depositio varia sit, admittitur ista potius quæ facta super interrogatoriis, quam quæ super articulis. *Rota apud Venalium decis. 421. l. 1.*

6. Si vero testes repetitione (quæ in Romano S. Inquisitionis Tribunali facienda est coram Commissario Generali, Assessore & Tabellione extra urbem, & in Provinciis in præsentia duarum personarum religiosarum ad hoc, ut planius veritas, aut mendacium ex eorum constantia aut inconstantia exploratur. *Pegnal c. c. 36.*) varii sint, contrariè seu vacillantes incarcerari possunt imò

mò & torqueri si contrarietas sit in substantialibus. *Bossius de tort. testium, num. 29, & 30.*

7. Et standum est primæ depositioni potius, quam secundæ; nisi secunda emanavit in tortura, tunc enim secunda potius attendenda est. Quemadmodum etiam in crimine hæresis favore fidei posteriori dicto statuitur. *Glos. in c. Accusatus V. post modum de hæret. in 6.* Si tamen notetur zelo fidei, non ex levitate aut odio dictum correctum, & mutatum esse *Alexand. IV. cit. c. Accusatus.*

ARTICULUS XVI.

De Publicatione Processûs.

1. *Processus copia danda est reo, & sub qua forma.*

2. *Copia quoque depositionum per extensum danda est Reo.*

3. *Articuli, quos contra exhibet Reus, clarè & distincte concipi debent.*

I.

Postquam Procurator Fiscalis suas fecerit probationes, & testes fuerunt repetiti,

petiti, fit publicatio processus, cujus & indiciorum copia danda est Reo, ut defendere se possit, sub hac forma;

Die N. Mensis N. Anni N. consignata fuit copia processus; Et indiciorum tot foliorum (exprimatur numerus foliorum) N. in carceribus S. Officii detento per me Notarium N. coram R. P. D. Inquisitore, cum prefixione termini dierum N. ad faciendas suas defensiones.

Die N. Mensis N. Anni N. tradita fuit copia processus N. in Officio S. Inquisitionis detenti Magnifico Domino N. ejus Procuratori.

2. Danda vero est copia depositionum Reo per extensum, distinctè, & separatim, non summarie, & in confuso. In ea tamen Testium nomina & cognomina non sunt edenda, neque circumstantiæ ex quibus Reus in testium cognitionem devenire possit. Pius IV Const. Cum sicut. Direct. Inquis. p. 3. tit. de defens. reorum n. 117.

3. Similiter articuli, quos producit & exhibet Reus, clarè & distinctè concipi debent ab Advocato seu Procuratore

illius, non autem multa confuse in-
alcando, idque fieri potest vulgari
omate, prout observatur in Tribu-
ali Romanæ Inquisitionis; Ideo hic or-
otuto servari potest, ut primo produ-
antur articuli super negando facto, se-
undo super exceptionibus contra testes,
tertio super bona vita & moribus reo-
rum. *Pegna. l. 2. c. 49.*

ARTICULUS XVII.

De Sententiæ Pronunciatione.

Proponitur Consultoribus petitio Rei pro
expeditione sua, & Procurator dat in-
formationes.

Qui votum habeant pro sententia ferenda.

Quo ordine vota dentur.

Quæ annotat Notarius.

Quomodo citatur Reus ad audiendam sententiam.

Quomodo fiat citatio.

Quomodo sententia fertur ab Inquisitore.

I.

Riusquam sententia proferatur In-
quisitor communicat processum cum
Consultoribus hoc modo: Inquisitor
Con-

Consultores advocat, quibus praesentibus proponitur petitio rei carcerati instantis pro sua expeditione, qua audita, ordinatur, ut Procurator det informationes suas Inquisitoribus, & Consultoribus, quod in Processu sic notari solet:

Die N. Mensis N. Anni N. in Congregatione habita coram Domino Inquisitore. In causa N. audito ejus Procuratore petente suum principalem expediri: Vel lecto ejus memoriali (dicatur prout contigerit) fuit ordinatum, quod detur summarium processus Consultoribus, & eiusdem Procurator det informationes.

2. Ad hunc actum pro sententia ferenda extra Urbem, una cum Inquisitore Episcopus, & ejus Vicarius, & Sede Episcopali vacante Delegatus à Capitulo intervenire debet, alias iudicium latum nullum est & irricum.

3. In ferendis suffragiis servetur ordo, qui in qualibet Inquisitione in usu est. In plerisque ferre primum solent Consultores, deinde Vicarius Episcopi aut ejus Delegatus, demum Inquisitores Procurator Fiscalis jure suffragium ferre non

on debet, cum sustineat vicem par-
 ti, & accusatoris.

4. Notarius diligenter notare debet
 singulorum suffragia sive scripto, sive
 prolata. Si alicubi inter Inquisitorem
 Consultores & maxime inter istum
 Ordinarium discordia oriretur, con-
 sulendus est supremus Senatus S. Roma-
 ne, & Generalis Inquisitionis. *Pegna*
max. Inquis. l. 2. c. 59.

5. Post lata suffragia Reus citatur ad
 audiendam sententiam, ut enim hæc
 valeat, præcedere debet partis instan-
 tia, Judicis decretum pro citatione fa-
 cienda, & citatio personalis ad audien-
 dam sententiam. *Repertor. Inquis V. Citatio*
Nota quod citatio.

6. Citatio vero fieri potest vel per
 nuncium, vel per Notarium seu Tabel-
 lionem instante Procuratore Fiscali jussu
 Inquisitoris, Hic actus sic expeditur:

2. Die N. Mense N. Anno N. Do-
 minus Inquisitor N. Mandavit citari
 personaliter N. Reum carceratum in S.
 officio pro die N. ut compareat coram
 meo ad audiendam sententiam.

Formula

Formula Citationis ad Sententiam.

Citetur N. ex adverso principalis ad videndum concludi, & pronunciari, & audiendam sententiam definitivam pro die N. coram Inquisitore instante D. N. Procuratore Fiscali S. Officii, & in calce ejusdem cedulae citationis Cursor, sive Notarius, qui fecit citationem manu sua testificabitur se citasse, sic facit personaliter die N. Anno N. Mense N. & simul apponet nomen suum.

In fine ejusdem cedulae Notarius facit fidem de reproductione, sic :

Die N. Mensis N. Anni N. Dominus N. Procurator Fiscalis reproduxit.

7. Relatione per Notarium sive Nuncium de praedicta citatione personaliter facta adveniente die in citatione expresso, producet Reus in Auditorio, & Inquisitor pro Tribunali sedendo more solito suam sententiam pronunciat, quam inde more solito publicabit, cum ad ejus executionem deveniendum fuerit, & si publice abjuraturus sit Reus publice sententia publicabitur hoc modo :

De S. Congr. interpr. Conc. Trid. 679

*Die N. Mensis N. Anni N. fuit pu-
blicata sententia coram populo in Eccle-
sia N. & dictus N. publicè abjuravit,
prout schedula sua abjuratonis.*

CAPUT XVIII.

De Sacra Congregatione
Cardinalium sancti Conci-
lii Tridentini Interpre-
tum.

S. I.

Institutio & Facultas hujus
Congregationis.

*Pius IV. prohibuit edere commentaria ad De-
creta Concilii Tridentini.*

*Idem instituit Congregationem 8. Cardinaliū
pro executione Decretorum.*

*Huic concessit Pius V. ut posset decidere casus
claros circa intelligentiam Concilii.*

*Sixtus V. concessit etiam facultatem dubia in-
terpretandi circa reformationem morum.*

Eamque habet privativè.

u u

6. Inter-